




930

Offert à Monsieur le Docteur Michel par l'auteur.

DE TRAGŒDIARUM GRÆCARUM CUM REBUS PUBLICIS CONJUNCTIONE

SCRIPSIT

HENRICUS WEIL

PARISIIS
APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM
RUE DES GRÈS, 14

1844

DE

TRAGŒDIARUM GRÆCARUM

CUM

REBUS PUBLICIS CONJUNCTIONE

PARISIIS

E TYPIS CRAPELET

RUE DE VAUGIRARD, 9

1844


DE
TRAGŒDIARUM GRÆCARUM
CUM
REBUS PUBLICIS CONJUNCTIONE

SCRIPSIT

HENRICUS WEIL

PARISIIS
APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM
RUE DES GRÈS, 14

1844


HARVARD COLLEGE
NOV 15 1933
LIBRARY

DE

TRAGŒDIARUM GRÆCARUM

CUM

REBUS PUBLICIS CONJUNCTIONE.

Homines, dum præclarum aliquod artis monumentum intuentur, non tam opus ipsum quam artificem cognoscere, admirari, amare student. Itaque multi nostris temporibus sibi proposuerunt, ut e tragœdiis græcis eruerent, non solum quale fuerit poetarum ingenium, quæ de summa divinarum humanarumque rerum sententia, sed etiam quid senserint de reipublicæ statu, quibus partibus faverint, quo fuerint animo in Cimonem, Periclem, Alcibiadem, num bellum Peloponnesiacum probaverint, an pacis exstiterint auctores; cetera hoc genus. Quod si vera essent omnia quæ viri docti nuper reperisse sibi videntur, aliter profecto quam adhuc consueverunt harum rerum periti, et de poetis illis judicandum esset, et de populi Atheniensis indole. Cui quum exprobraverit Cleon, vel potius Thucydides, quod in concione et veris rebus agendis

ἄλλο τι ζητοίη ἢ ἐν 'οἷς ζῶμεν [1], nobis contra efficeretur, in fictis rebus et a vera vita remotis requisivisse Athenienses ea ἐν οἷς ζῶμεν. Poetæ autem non uno loco viderentur ipsi cum spectatoribus collocuti esse, ipsique fuisse fabulæ pars, quum ex tragici carminis legibus non pars fabulæ poeta, sed creator sit et quasi fons vitæ, ex quo vitalis animæ haustum traxerunt personæ, in reliquis a creatore disjunctæ, ut conjecturam facere possis de deo illo scenici mundi artifice, cognoscere et conspicere ipsum non possis.

Itaque fines quidam videntur et quasi termini constituendi esse, intra quos se exerceat studium illud (morbum pene dixerim) investigandi, quæ in tragœdiis græcis, e poetarum potius quam e personarum mente dicta, non ad fabulæ sed ad commissionis tempus pertineant.

Nonnulla in tragœdiis græcis ad res publicas referenda esse, nunquam fefellit viros doctos; quæ sint referenda, et qualia, et quomodo, non satis inter eos convenit. Qua in disquisitione propius fortasse ad verum accedamus, si animadversum erit, non simplex esse id de quo agitur, sed pluribus modis posse usu venire. Est enim tragœdiæ genus, quod totum versatur in iis quæ ipsius poetæ memoria gestæ sunt, rebus celebrandis; est alterum, quod, vetera rei publicæ vel fata vel instituta exornando, cum præsenti rerum statu aliquatenus conjunctum videatur;

[1] Thucyd. III, 38.

potest etiam argumentum, per se alienum a rebus publicis, ita conformatum esse a poeta, ut imaginem quandam exhibeat eorum quæ tum maxime in civitate gerebantur, atque tectam et involutam in se contineat civium vel exhortationem vel admonitionem; occurrunt denique in tragœdiis græcis singulæ passim sententiæ, fabulæ argumento adspersæ, quæ non ad personas, sed ad spectatores potius pertinere videantur. De quibus generibus singulis breviter nonnulla disputabimus.

I. Primum quod statuimus genus non late patuit apud veteres: de iis quæ hodie exstant fabulis una tantum, Æschyli *Persæ*, huc referenda; innotuerunt præterea Phrynichi tragœdiæ : Mileti expugnatio et Phœnissæ. Jam vero hoc fabularum genus fieri non potest ut ad rem publicam non spectet; neque hoc quisquam mirabitur : illud fortasse admiratione dignum, quod vix ulla inveniuntur in Æschyli Persis, quæ in partium favorem dicta videantur. Agitur res in ultimis, ut apud Athenienses, terrarum partibus, ne nomen quidem ullius memoratur Græcorum ducis, visis nocturnis diurnisque cum rebus *mythicis* veræ res exæquantur, divino consilio plus quam humanæ tribuitur vel sapientiæ vel fortitudini. Quibus rebus adducor ut non hæream in ea, quæ a viris doctis notata est, inter Æschylum et Herodotum discrepantia. Aristides enim quum præclarum opus ediderit in Psytallia insula primoribus Persarum obtruncandis, breviter, sed non sine magna fortissimi viri laude, hoc perstrinxit

vel eorum qui fabulas spectabant, vel sociorum, vel hostium. Quin dii ipsi non generis humani sunt dii, sed græcarum urbium sive conditores, sive patroni. Pertinent igitur ad laudes patriæ civiumque, passim etiam ad hostium obtrectationem, fabulæ ipsæ. Qua in re illud notatu dignum est, quod Æschylus e multarum græcarum urbium mythica historia fabularum suarum argumenta petiit, Sophocles et Euripides plures tragœdiis exornaverunt atticas fabulas [1]. Videor mihi hujus rei rationem invenire in diversis quibus poetæ vixerunt temporibus. Æschylus enim, Marathonius miles, majore quodam animo, Atticæ fines egressus, omnem sibi Græciam patriam esse existimavit : erat enim ejus ætatis qua vel maxime unum se esse populum variæ Græcorum gentes et re demonstraverant Barbaris et ipsi animo senserant. Quæ pulcherrima concordis Græciæ tempora mox evanuerunt, ut, communi hoste e patriæ finibus ejecto, veteres discordiæ rursus nascerentur et acrius exardescerent. Quam ob rem Sophocles, arctiore rursus ille patria usus, ad atticas fabulas tractandas animum appulit ; Euripides, ut qui odium Lacedæmoniorum inde a puero imbiberit, multis tragœdiis Atheniensem se esse ita comprobavit, ut in Peloponnesios inveheretur.

Hoc in genere dupliciter agnoscas poetam Atheniensem. Quum enim pro civibus nostris habeamus

[1] Welcker, *Die Griechischen Tragœdien*, ec. Bonn, 1839, I, p. 97.

non solum eos quibuscum vivimus, sed etiam eos qui ante nos in eadem civitate vitam degerunt, potest fabulæ tractatio Atheniensem quendam colorem ita referre, vel ut detorqueatur ad poetæ ætatem, vel ut ad veterum Atheniensium gloriam antiquas res accommodet. Primo loco dicemus de altero genere, quod quum minus faciat ad nostram rem, breviter de eo monuisse satis habebimus.

In plurimis tragœdiis ita versatos esse videmus poetas, ut vel augerent vel fingerent quæ ad mythicam Athenarum gloriam pertinerent, minuerent autem vel celarent quæ Athenis non satis essent decora. Itaque, teste Plutarcho (*Thes.* 16), *Minos* Cretensis semper male audivit et increpatus est in Atticis theatris, neque Hesiodus eum juvavit regem præstantissimum, neque Homerus Jovis sodalem eum vocando: esse enim gravissimum, urbis suscipere inimicitiam, quæ facundia polleat et carminibus. Idem fere accidit Creonti, *OEdipi* causa bellum Atticæ inferenti; idem Atridis, *Ajacem* Salaminium, postumum ut ita dicam Atheniensem, sepultura privare studentibus. Theseum vero semper videmus fortem et magnanimum, miserorum patronum, castigatorem improborum. Cetera ut mittam, *Hippolyti* pater si alius esset quam Atheniensis heros, aliter arbitror Euripidem tractaturum fuisse ejus partes: notavisset profecto hominis credulitatem et iracundiam, ut odio nobis esset, cujus nunc nos miseret. Idem quod in personis, etiam in fabulæ compositione factum esse videmus. Itaque quum ita fama obtinuisset,

Copreum, legatum ab Eurystheo missum ad *Heraclidas* repetendos, neglecta religione ab Atheniensibus interfectum esse (Philostr. *Vit. Sophist.* I. p. 550), non solum purgavit Euripides cives suos hoc crimine, sed etiam ostendere studuit quomodo exsistere potuerit ejusmodi rumor. Demophon enim apud Euripidem, manum jam injecturus legato, a Choro retinetur (*Heraclid.*, v. 271); Copreus salvus ad suos redit; Chorus autem omnibus ait hoc vitium esse præconibus, ut in majus res exaggerent, et Copreum quoque ita rem narraturum esse, quasi multa incommoda ei acciderint atque vix effugerit necem. Quod hic in fabulæ parte, alias in universa fabula factum esse videmus. *Jonem* enim quum ederet Euripides, hoc sibi videtur proposuisse, ut ducem illum Atheniensium doceret non Xuthi advenæ filium fuisse, νόθον, ut Græca voce utar, sed verum et genuinum Atheniensem, matre natum Erechthei filia, patre divino [1]. Callide autem ita instituit rem, ut Xuthus suum esse filium Jonem crederet: itaque eadem fabula et confirmavit eam famam, quæ ad patriæ gloriam magis esset idonea, et alterius rationem reddidit probabilem. Illud sane reprehendas, quod fraude utitur Apollo, quæ quum omnino indigna sit deo, tum Apollinem minime decet, Jovis ipsius interpretem, qui vera atque sincera responsa mortalibus edere credebatur. Sed talia nihil morabatur Euripides, quin immo dedita opera ex-

[1] V. Mueller, *Dorier*, I, p. 246.

cogitabat, ut deos illos populares, quibus, æqualium opiniones secutus, in fabulis suis utebatur, eosdem tecte rideret et injustos esse demonstraret (cf. *Hippol.* vv. 7, 47, sqq. *Orest.* vv. 417, sqq. 955. *Electr.* vv. 1246, 1302). Interdum videmus iis fabulis, quæ nihil pertinent ad Athenas, inferri Atticos heroes. Hujus generis est, quod in *Medea* Ægeus feminæ miseræ et a proximis suis injuria affectæ hospitium auxiliumque pollicetur, ad fabulam ipsam minus commode [1], ad Athenarum gloriam apposite. Similiter in *Hercule furente* Theseus inducitur, non feminæ ille, sed Alcidæ ipsi auxilium laturus. Quibus addi potest, qui a Sophocle est in Electram illatus, modestius quidem, haud ingrate tamen Atheniensibus, auriga ille Atheniensis, prudens et peritus, Pythicorum certaminum victor.

Alia est ratio eorum argumentorum in quibus futurarum rerum vel semina vel exempla conspici licet, ut quasi pervadere videantur per temporum spatia, et eventorum consequentia usque ad poetæ ætatem pertinere. Huc referas Æschyli *Eumenides*, arctissime conjunctam cum institutis sacrisque, quæ, dum Athenarum res publica stetit, permanserunt atque in honore fuerunt. Dijudicatur enim in hac fabula Orestis causa, facinus ausi pie impium, dum patris necem ulturus matrem interficit, et deorum Olympiorum jussis obtemperans in

[1] V. Patin, *Études sur les tragiques grecs*, t. II, p. 393.

inferorum deorum vindictam incidit. Quæ causa quum sit maxima et gravissima, a Minerva ipsa instituitur antiquus ille qui in Areopago capitalia judicia exercebat senatus, atque hæc prima res ad eum defertur. Hoc tragœdiæ argumentum quolibet tempore Æschylum potuisse tractare, neque omnino a maxima Areopagi laude disjuncturum fuisse, facile intelligitur. Attamen ita commendata est a poeta Areopagi auctoritas, ut aliud quiddam his laudibus subesse sentiatur. Atque quum sciamus eo ipso tempore commissam esse fabulam, quo Pericles Areopagum si non omnibus, at multis tamen muneribus et antiquo illo splendore spoliavit, extra omnem dubitationem positum est, quod jamdudum viderunt viri docti [1], id sibi proposuisse Æschylum, ut antiquissimi judicii auctoritatem contra novarum rerum studiosos defenderet. Qua in re ad hoc maxime attendendum est, quomodo spectatores allocutus sit poeta. Quum enim duæ sint rationes quibus in tragœdia cum corona verba facere possit poeta, neutra cum tragicæ artis legibus satis congruere videtur. Potest enim, quod in Euripidis prologis et in Comicorum παραβάσεσι factum esse videmus, sive actorum aliquis sive Chorus, partibus suis neglectis, quæ poeta spectatoribus cognita vult exponere. Possunt etiam personæ inter se colloqui, quæ tum ad se, tum præcipue ad spectatores pertineant. Sed neque

[1] V. Lebeau, *Mém. de l'Acad. des Inscript.* t. XXXV, p. 433. Mueller, *Eumeniden*, p. 115 sq.

aperta illa, neque tectior hæc et obliqua ratio quum in tragœdia probanda esse videatur, admirabili Æschylus, sive arte, sive ingenio usus tertiam aliquam invenit viam, quæ ab omni reprehensione vacat. Minerva enim, silentio per præconem facto, coronam alloquitur civium Atheniensium, qua judicum consessus cinctus esse fingitur, quæ corona nulla alia est quam verus, qui in theatro considet, populus. Itaque non ad spectatores se convertit actor, sed fabulæ pars fiunt ipsi spectatores; neque Minervæ persona a fabulæ tempore ad commissionis tempus descendit, sed ascendit et transfertur corona ex eo quo re vera est in id quod poeta vult tempus.

Sed insunt etiam alia huic tragœdiæ non minus aperte ad publicas Atheniensium res referenda. Docta enim est Eumenides non multo post fœdus inter Athenienses et Argivos initum (Ol. LXXX a. 1 aut 2). Jam vero quum Orestes esset Argivus, hanc occasionem nactus poeta civitatum conjunctionem antiquissimo niti fundamento ostendit. Itaque statim ab initio Orestes Minervæ auxilium implorans (v. 289) fidam et æternam Argivorum amicitiam pollicetur; quæ iterum (v.669) Apollo patronus pro cliente suo spondet; atque in fine tragœdiæ Orestes ipse (v. 762), domum reversurus, pro eo quo ab Atheniensibus affectus erat beneficio, semper se suosque cives grato animo futuros esse jurejurando confirmat; quod si unquam bellum Atheniensibus illaturi essent Argivi, irrita se effecturum esse eorum consilia, sin societatem colerent, propitios eos habi-

turos esse suos manes. Hæc omnia ita sunt diserte dicta, ut facillime et Athenienses tum assequi potuerint, et hodie interpretes intelligant; ita porro cum argumento conjuncta sunt conveniuntque et rebus et personis, ut scenici carminis leges nunquam egressus sit poeta. Fac enim doctam esse fabulam eo tempore quo Areopagi auctoritas sancta adhuc et inviolata erat, argumentum tale est, ut ab amplissimi judicii laudibus non abstinuisset poeta; fac Argivos hostes fuisse Atheniensium, fac amicitiam sine fœdere inter civitates intercessisse, fac suspiciones sine bello : quidquid statuis, debuit Orestes Æschyleus et societatem polliceri, et rupti fœderis vindicem se fore prædicare. Alio fortasse modo et aliis verbis nonnulla dixisset, res et sententiæ eædem sane fuissent quæ sunt et quæ omnino esse debuerunt.

Eodem fere tempore, si viros doctos audias, Æschyli *Supplices* acta. Qua in fabula Danai filiæ ex Ægypto profugæ, ab Argivis hospitio exceptæ, pro Argivorum salute vota faciunt, et precantur a diis ut bonis plurimis maximisque et terram et homines afficiant. Hæc causa erat viris doctis, cur sub Argivi fœderis tempus, paullo ante Oresteam, hanc fabulam actam esse suspicarentur. Cui sententiæ maxime videtur adversari fabulæ indoles, simplicissima illa et quæ non ultimis sed primis poetæ temporibus conveniat. Chorus enim non primarius, sed fere solus est actor, ut non accedere videantur ad ceteras personas Chori partes, sed ad eum personæ accedere. Itaque subtilis antiquorum carminum judex omnium

quæ ætatem tulerunt Æschyli fabularum hanc esse primam et antiquissimam statuit [1], cujus judicio omnino accedo. Neque enim moror Argivorum laudes, quas ab Æschylo, non Athenarum sed Græciæ cive, nunquam abhorruisse censeo. Fiunt pro Thebanorum quoque incolumitate preces in Septem adversus Thebas, quum tamen Thebani, dum Æschylus vixit, nunquam fœdus inierint cum Atheniensibus; quod Aristophaneus Bacchus ridens crimini vertit Æschylo, quasi Thebanorum fortitudinem laudando hostibus Athenarum animos addiderit (*Ran.* v. 1023). At, puto, non sunt ad hanc regulam exigendæ Æschyli tragœdiæ. Neque quæ de Ægyptiis dicuntur effeminatis et imbellibus, ad Atheniensium Ægyptiacam expeditionem necessario referuntur, quum Græcorum celebrari bellica virtus, barbarorum ignavia notari a viro Medicarum pugnarum participe semper potuerint. Præterea, fuerunt quidem inter Ægyptios qui cum Persis adversus Athenienses bellum gererent, major tamen pars ab horum partibus stabat.

Hæc de Æschylo. E Sophocleis quæ exstant fabulis una tantum ad Athenarum antiquas res pertinet, Œdipus Coloneus; cui addere possis Ajacem, ab Atticis religionibus non alienum. In *Œdipo Coloneo* eadem fere quæ in Eumenidibus occurrunt: nam et sacra quædam instituta circumfunduntur antiquitatis splendore, et extraneus, ab Atheniensibus

[1] V. Patin, *l. l.* t. I, p. 161.

beneficio affectus, auxilium suum in posterum promittit. Nihil attinet multis explicare, quomodo cum universa Athenarum laude pagi Colonei, cui ipse adscriptus erat, laudem poeta conjunxerit; cujus loci sacra, ante Sophoelem « pie observata ab incolis, fama non item celebrata (v. 63) », inclaruerunt profecto illa tragœdia, et « nobilium facta sunt » sacrorum. Magis ad nostram rem faciunt bona illa, quibus OEdipus hospes Athenarum rempublicam afficit. Quæ multum differunt ab iis quæ in Eumenidibus Orestes pollicetur : Argivorum enim rex amicitiam suorum offert et societatem ; OEdipus exsul, civibus suis infensus, victoriam de Thebanis una cum sepulcro suo Atheniensibus tradit. Conspirant fabulæ cum rebus historicis : nam cum Argivis nullum fere Atheniensibus bellum intercessit, cum Thebanis sæpe bello contenderunt, nunquam fere pace utebantur firma et sincera. Itaque in tragœdia quoque, futurarum cladium omen quoddam et quasi prolusio, Creon superatur a Theseo atque ex Atticæ finibus ejicitur. Quæ omnia quum ad inimicitias civitatum spectent, duo exstant in OEdipo Coloneo loci, qui universo fabulæ consilio videntur repugnare. Vaticinante enim OEdipo, fore ut in Atticæ finibus clade afficiantur Thebani (v. 605, sqq.), mirabundus Theseus ex eo quærit, quomodo inter amicas civitates dissidia nasci possint. Ad quæ OEdipus respondet nihil tam esse firmum et conjunctum, quod non dissolvatur temporis potentia; itaque futurum esse annorum decursu, ut concordia illa et societas gladio

discindatur a Thebanis levem ob causam. Altero loco (v. 919, sqq.) Theseus, dum in Creontem invehitur, rempublicam Thebanorum sedulo culpa eximit, quam negat probaturam esse Creontis incepta si resciverit: neque enim injustis eam delectari civibus. Quum igitur et cladem Thebanorum hæc fabula auguretur, et eadem maximis laudibus afficiat Thebanos, annum aliquem exquirere studuerunt viri docti, quo et hæc et illa apte potuerint a poeta proferri. Qua in disquisitione in diversas partes abierunt. Nonnullis enim visum est post pugnam Deliensem ridicula futura fuisse Œdipi illa promissa, ipso scilicet rerum eventu refutata; optime vero belli initiis convenire, quando in victoriæ spem erigendi fuerint civium animi. Quadrare etiam hostium laudes in ea tempora, quibus odium nondum acrius exarserit. Itaque Ol. LXXXVII anno 2 vel 3 doctam esse fabulam statuit Reisigius, cum quo in universum consentiunt Lachmannus et Schœllius, nisi quod ille temere (cf. v. 703) primum ejusdem Olympiadis annum præferendum esse censuit. Alii contra non nisi post cladem Deliensem aptam huic tragœdiæ occasionem fuisse sibi persuaserunt. Nam primis belli Peloponnesiaci annis a Spartanis sibi metuisse Athenienses, de Thebanorum in Atticam incursionibus post illam demum pugnam potuisse cogitari. Atque quum eodem tempore factio exstiterit Thebis popularis imperii et Atheniensium studiosa (Thuc. IV. 76), hoc fuisse causæ existimant, quare in universam invehi Thebanorum civitatem Sophocles dubitaverit. Talibus fere

rationibus permoti Boeckhius et Suevernius [1] Ol. LXXXIX exeunti, vel ineunti XC, OEdipum Coloneum assignarunt. Hæc ideo longius exposui, ut intelligatur quam lubricum sit ex argumento fabulæ, etiamsi haud dubie spectet ad res publicas, de fabulæ tempore conjecturam facere. Quis enim ex argumento OEdipi Colonei effecisset, eam esse conscriptam sub finem belli Peloponnesiaci, nisi tot tamque diserta hujus rei testimonia exstarent. Quibus difficile est fidem denegare. Nam de narratiuncula illa notissima ut concedam jure suo dubitasse viros doctos, quoad aliunde non accederet confirmatio, nunc tamen quum constet post mortem poetæ a juniore Sophocle fabulam editam esse (Schol. cod. Florent.), tam apte hæc cum illis concinunt, ut et illorum inde fides augeatur. Absolvitur vero res, quod optime perspexit Welckerus, epigrammate in Sophoclis honorem ab Jophonte filio conscripto, cujus sententiam Valerius Maximus (VIII, 7, ext. 12) latinis verbis expressit. At quum ultimis belli annis acerrimum fuisse Atheniensium in Thebanos odium consentaneum sit, superest ut explicemus cur a Theseo Sophocleo Thebani collaudentur. Atque in primo illo loco (v. 605) equidem non offendo : nam si amicitia olim cum Atheniensibus conjuncti levem ob causam fœdus violarunt, major inde Thebanis conflatur invidia. Jam vero, si amice tunc agebant civitates,

[1] Reisig. *Enarratio OEdip. Colon.*, p. v. Lachmann in : *Niebuhr's Rhein. Museum*, p. 313. Bœckh. *Procem. ind. lectt. Berol. æst.* 1826. Suevern in *Act. Acad. Berol.* 1828, p. 15.

Theseus, quæ ejus erat prudentia, parcere debuit sociæ reipublicæ atque in Creontem solum omnem invidiam conjicere. Hac ratione alter quoque locus explicari possit. Habet tamen quo se commendet C. F. Hermanni sententia, qui a juniore Sophocle, post restitutas Thebanorum auxilio Atheniensium res, in amicæ tum civitatis gratiam hos versus additos esse conjecit [1].

Ad Euripidem quod attinet, de *Supplicibus* res est et notissima et certissima. Omnis enim fabula versatur in vetusto illo beneficio exornando, quo Athenæ Argivorum civitatem in æternum sibi devinxisse ferebantur. Itaque in fine tragœdiæ, postquam Adrastus se suosque affirmavit semper beneficii memores futuros esse, hoc parum esse ratus poeta, Minervæ jussu fœdus esse initum inter civitates finxit, atque adeo formula ipsa jurisjurandi a dea præitur. Accedit quod Spartanorum notatur crudelitas et perfidia (v. 186), Thebanorum improbitas, superbia, inanis jactantia (v. 463, passim), quos sperat poeta, quum secunda fortuna usi sint, hanc ipsam ob causam adversam mox experturos esse (vv. 329, 608). Athenæ non solum laudantur, sed etiam purgantur ab invidorum criminationibus, quo pertinet et illa de optima rei publicæ forma disputatio (v. 403), et quæ de egregia Atheniensium imprudentia, magnarum rerum effectrice, profe-

[1] Welcker, *Die Griechischen Tragœdien*. Bonn, 1839, I, p. 253. K. F. Hermann, *Quæstiones OEdipodeæ*. Marburgi, 1837, p. 43.

runtur (v. 321). Laudatio ducum Argivorum ita est instituta, ut nesciam an rideantur Atheniensium ἐπιτάφιοι. Illud certe spectatores fugere non poterat eos, quorum moderatio ab Adrasto celebretur, eosdem superbia sua deorum iram meritos esse. Atque omnino, paucis locis exceptis, facile intelligas non apud Theseum et Æthram versari poetæ animum, sed in medio foro et inter suæ ætatis Athenienses. Quo nomine ab Æschyli Eumenidibus differt Euripidis Supplices et ab Sophoclis OEdipo Coloneo. Ab Æschylo enim et Sophocle rapiebantur spectatores in antiquam illam et venerabilem ætatem, deosque et heroes oculis se videre sibi persuadebant; qui si forte divinatione præditi, ea expromebant quæ novissimis temporibus eventum habitura essent, tanta erat personarum gravitas, tamque per omnem fabulam sui erant similes sibique constantes, ut non ficta sed vera e remotissimis temporibus vox ad spectatores pervenire videretur. Apud Euripidem contra omnia lusum quendam esse apparet, ingenii quidem suavissimi et acutissimi : licet conspicere poetam modo latentem sive potius emergentem ex Thesei vel Adrasti persona, modo, tragœdiæ memorem, recedentem rursus a scena et suo ipsarum impulsu motas, veras spirantesque personas relinquentem. Itaque apud Euripidem quæ ad rem publicam spectant, relata videntur ex præsenti in antiquum rerum statum, apud Æschylum Sophoclemque recentia fluere ex antiquis atque inde ducere originem suam causasque tibi persuadeas. Quæ quum ita se habeant,

Euripideæ fabulæ quando commissæ sint, facilius et majore cum specie probabilitatis ex internis argumentis colligitur. Supplices vix dubitari potest quin acta sit eo tempore, quo Athenienses cum Argivis, Lacedæmonii cum Thebanis societatem inierunt, Ol. LXXXIX. 4 [1] vel paullo post. Tunc quum constet Alcibiadem juvenem ad rempublicam administrandam accessisse, non fortuito videbatur de juvenibus in hac tragœdia sæpius mentio injici. Qua in re illud admodum mireris, non posse ad liquidum perduci, utrum pro Alcibiade an contra Alcibiadem Euripides verba faciat. Modo enim dicuntur juvenes ad injusta bella cives excitare, vel ambitione incensi, vel potentiæ cupidine, vel lucri studio, suis non publicis rebus intenti (v. 232 sqq. cll. 160, 509); modo hoc maximum esse reipublicæ præsidium perhibetur, si juvenem habeat pastorem probum et belli ducem (v. 190 sqq. cll. 449). Itaque aliis pungi visus est hac fabula Alcibiades, aliis quam maxime idem laudari et commendari [2].

Heraclidarum simillimum est argumentum, ratio diversa. Habes iterum Athenas miserorum portum et refugium, improborum terrorem; habes supplices, qui admonentur, ut maximi beneficii semper sint memores (v. 312). Verum qui hoc beneficio afficiuntur, eas condiderunt urbes, eosque habuerunt posteros, qui Atheniensibus non amici, sed

[1] Bœckh. *Græcæ tragœdiæ princip.* 1808, p. 188.

[2] Bœckh. *l. l.* — Lebeau, *l. l.* p. 447. Hartung, *Euripides restitutus*, II, p. 76.

hostes evasuri erant infestissimi. Itaque quum in Supplicibus fœdus inter civitates Minervæ auspiciis sanciatur, Heraclidarum ita institutus est finis, non ut in æternum confirmetur societas, sed ut immemoribus tanti beneficii officiique oblitis gravissima prædicantur mala. Hæc adversus Lacedæmonios nullo fere tempore non possunt dicta esse. Sed alia insunt huic fabulæ, ex quibus accuratius quid de commissionis tempore elicias. Heraclidas enim implacabili odio persequitur atque bello iniquissimo ab Atheniensibus repetit Eurystheus Argivus. Qua occasione usus poeta non solum Eurysthei, quod aliter fieri non poterat, sed etiam Argivorum, quod minime erat necessarium, non uno loco notavit improbitatem et vanam jactantiam, Athenisque bellum Argivum timendum esse negavit (Cf. vv. 284, 353 sqq, 386, 193, 231). His locis permotus Boeckhius Ol. XC. 3 actam esse fabulam conjecit, quo anno pacem cum Lacedæmoniis fecerunt Argivi. Qui quum anno insequenti in gratiam redierint cum Atheniensibus, atque omnino perraro exstiterint Atheniensium hostes, firmissima videtur summi viri conjectura. Neque Pflugkio[1] arbitror, qui cetera optime disputavit de hac fabula, satis justam fuisse causam cur ab illo anno discederet. Nam quæ in Argivos jaciuntur convicia, nequeo mihi persuadere a spectatoribus de Lacedæmoniis accipi potuisse; quæ autem moriens Eurystheus Atheniensibus pollicetur, non

[1] Bœckh. *l. l.* p. 190. Pflugk, in *Heraclidarum* editione, Gothæ, 1830, *procem.*

ad Lacedæmonios solos, sed etiam ad Argivos pertinere censeo, quippe qui et ipsi ab Heraclidis oriundi essent.

III. Superest ut dicamus de tertio fabularum genere, quæ neque tempore, neque rebus, sed similitudine quadam ad præsentem rerum statum pertinere dicuntur. Fac enim ita esse argumentum a poeta vel electum vel conformatum, ut tacita quædam et tecta insit cum præsenti civium conditione comparatio, et ut personarum mores fataque ad principum in civitate virorum similitudinem expressa sint. Jam duplicem habebis tragœdiæ sententiam, alteram quam fabula ipsa profitetur et præ se fert, alteram quam tu addas, ita tamen, ut non addidisse, sed intellexisse tantum videaris. Hanc rationem ingeniosam sane, at valde lubricam, certatim nuper in Germania ad veteres tragœdias explicandas adhibuerunt viri docti. Mitto Reisigii et Lachmanni de OEdipo Coloneo commenta, quorum ille similitudinem indagavit inter OEdipum et Platæenses, ab Atheniensibus in societatem receptos, a Thebanis insidiis circumventos, hic Periclem et OEdipum, ἐναγεῖς, e civitate non ejiciendos, inter se exæquavit. His igitur prætermissis, statim me convertam ad justum et absolutum hujus rationis exemplum, multarum aliarum conjecturarum fontem et principium, quod proposuit vir, a cujus sententia non libenter discedo, C. F. Hermannus [1]. Notissima est, quæ in *OEdipo Rege* legitur, morbi propter Laii cædem

[1] K. F. Hermann, *l. l.* p. 27 sqq.

Thebanis immissi egregia descriptio. Jamdudum animadverterunt viri docti, in tragico hoc morbo exornando ob oculos versatum esse Sophocli verum illum morbum, qui Athenis belli Peloponnesiaci initio coortus est: quin nonnullis non ita multo post fabula docta esse videbatur. Jam vero Hermannus proximis statim post pestilentiam Dionysiis Sophocleam tragœdiam assignavit, atque hanc primam nactus similitudinis quasi ansam, etiam reliquo fabulæ argumento subesse publicarum rerum significationem demonstrare conatus est. Morbi causa, tragici OEdipus est piaculo obstrictus, veri Pericles, si non suo, at majorum scelere, diis invisus. Et OEdipus et Pericles sapientiæ laude floruerunt, ab utroque in omni calamitate, tamquam a deo, auxilium populus expetebat; oraculorum rerumque divinarum uterque erat contemptor. Monuit igitur hac fabula poeta, ne amplius sequerentur Athenienses Periclis consilia, neve committerent, ut ea qua princeps laboraret culpa omnis civitas implicaretur. Neque profecto fugere potuit spectatores poetæ consilium. Solebant enim veteres omnia quæ gravius et inusitatius acciderent, deorum iræ attribuere; jam vero scelus illud Cylonium paucis ante annis a Lacedæmoniis Pericli exprobratum erat, et Athenienses, qua erant superstitione, gravissimo malo tum temporis afflictante, antiquæ illius Alcmæonidarum maculæ recordatos esse consentaneum est.

Dici vix potest quantum hæc conjectura viris doctis arriserit, quippe qua efficiatur, quod maxime

requirimus in antiquis rebus investigandis, ut quæ dispersæ et dissipatæ ad nos pervenerint antiquitatis reliquiæ, ingenii acumine inter se coaptentur, et in pristinam vitam restituantur. Neque negari potest, omnia quæ vir eruditissimus protulerit optime inter se quadrare : quin insunt nonnullæ in tragœdia nostra sententiæ, quibus huic conjecturæ nova lux affundi videatur. « Nihil valet neque turris, neque navis, viris vacua qui eam incolant » (v. 56). Nonne in eum hæc dicta sunt, qui in muris navibusque omnes Atheniensium spes collocatas voluit, eamque iniit belli gerendi rationem, qua urbem incolis orbasse videri posset? « Superbia tyrannum gignit. » — « Si quis impius incedit vel manu vel lingua, Poenam non curans, neque colens signa deorum, mala in eum invadat pestis, ob infelicem superbiam. » — « Nusquam in honore est Apollo, perierunt divina. » Hæc quoque, si illam conjecturam probes, in Periclem non possunt non dicta esse. Quibus addidit Schœllius [1] Stesimbroti Thasiensis, hominis temporum illorum æqualis, testimonium vel potius calumniam, qua Periclis cum OEdipo similitudo mirum in modum adaugetur. (Plut. *Per.* 13, 36). Ita enim ferebant invidi optimatium rumores, cum filii Xanthippi uxore rem patrem habuisse. Quo efficitur ut pene alter OEdipus nobis evadat Pericles.

[1] Ad. Schoell. *Sophokles, sein Leben und Wirken.* Frankf. 1842, p. 169 sqq.

Equidem confiteor hæc omnia ita inter se concinere, tamque apertam atque atrocem clarissimi viri exsecrationem continere, ut luculenter mihi demonstraverit Hermannus, non, quod voluit, OEdipum actam esse Ol. LXXXVII. 3, sed hoc potissimum anno omnino agi non potuisse. Quid enim? Funeribus adhuc completa est urbs, luctu afflicta omnis civitas; in theatro die festo consident homines, ut tandem aliquando relaxent animum et sublevent a quotidianis malis: en poetam humanissimum, qui eam ipsam quam effugere student mortis luctusque imaginem de industria proponat civibus, ut voluptas illa tristitiæ, qua in scenicis ludis spectandis afficimur, in verum mœrorem et acerbas lacrymas convertatur. Hoc poetam, hoc Atheniensem, hoc Sophoclem in animum induxisse, nemo profecto mihi persuadebit. An Phrynichum mulctaverunt Attici illi subtilissimi artium judices, quod recenti amicæ civitatis clade in scena proposita domesticorum malorum memoriam civibus revocasset; Sophoclem ultimis poenis non affecerunt, qui gravissima rei publicæ vulnera prudens sciensque integraret? Polum histrionem minime probo *lamentis veris et spirantibus opplentem* theatra; et hic quidem tum demum filii cineres in scena gestavit, cum *luctum satis visus est eluxisse*: quid dicam de Sophocle poeta totius civitatis cineres in scenam inducente? Tum re vera usu venisset illud, quod Gellius dixit (VII. 5), ut *quum agi fabula videretur, dolor actus esset*. Neque hæc conspirare videntur cum Sophoclis

ingenio, neque infestissima illa maximi viri insectatio, quæ tum in totius fabulæ conformatione, tum in versibus supra citatis conspiceretur. Non intelligo tantæ acerbitatis virus in poeta dulcissimo, de quo Comici sunt verba : ὁ δ' εὔκολος μὲν ἐνθάδ', εὔκολος δ' ἐκεῖ.

Verum in una fabula non constitit hoc studium componendi tragœdiarum argumenta cum Atheniensium rebus publicis, sed brevi temporis spatio late manavit, ut hodie non solum in iis quæ exstant fabulis, sed etiam in deperditis tectiorem aliquam et intricatiorem significationem interpretum curiosa industria indagaverit. Quod vel maxime mihi videtur primæ illi conjecturæ virorum doctorum suffragia conciliasse, quum aliorum ausis effectum sit, ut Hermanni audacia jam prudentia et moderatio esse videatur. Attamen, si in OEdipo vera est illa explicandi ratio, non video cur ad reliquas fabulas non adhibeatur. Hoc enim quæritur, consueverintne an non consueverint Athenienses in scenicis ludis imaginem conspicere, non humanæ vitæ in universum, sed earum rerum quæ tum maxime acciderent et gererentur. Quod si non solebant ad suum ipsorum statum fabulas detorquere, minime mihi videntur in ea potissimum fabula de se cogitasse, quæ quam maxime percellit spectatorem neque alio se convertere sinit. Sin autem de se cogitaverunt in OEdipo spectando, etiam in aliis cogitasse veri simile est. Sed redeamus ad propositum, ut hujus rationis incrementa persequamur. Hanc provinciam suscepit

vir, in quo nec doctrinæ copiam desideres, nec ingenii acumen, Ad. Schœllius [1]. Qui in OEdipo Rege (pergamus enim in hac tragœdia illustranda) ad Periclem respici Hermanno largitur, sed non exagitari summum virum, sed laudari et commendari statuit. Operæ pretium est videre quomodo ex eadem fabula, ex iisdem verbis, eadem fere ratiocinandi via, duæ sententiæ plane diversæ inter se cum aliqua probabilitatis specie elici potuerint. Sophocles nimirum, quæ ejus erat ironia, a populo Thebano eadem OEdipo vanissima ingeri crimina finxit, quibus Pericles ab Atheniensi plebecula obruebatur. Hoc sibi volunt illi muri navesque hominibus vacuæ, hoc stultum illud et iniquum quod ab OEdipo expetitur, ut pestis divinitus immissa hominis opera vel sapientissimi avertatur. Qui deorum signa contemnere perhibentur, impii vel manu vel lingua, sunt sane Periclis amici, Phidias, qui in Minervæ clypeo suam et fautoris imagines expressit, Anaxagoras, qui popularibus religionibus fidem denegabat, hic lingua, ille manu deorum contemptores. Ergone Periclis amici accusantur? Minime. Animi perturbatione abreptus vanas Chorus jacit calumnias; quas statim refellet Jocasta, proditura e regiis ædibus, ut deorum iram thure precibusque placet. Quæ in eodem cantico de tyrannorum superbia prædicantur, non ad Periclem, sed ad Thebanos referenda sunt optimatium imperio utentes. Jam vero sub OEdipi persona iræ

[1] Schoell. *l. l.*

indulgentis, ad suspiciones proclivis, notantur vitia Atheniensium; ubi illud imprimis pro Pericle dictum esse vult, quod Chorus monet, ne ἐναγὴς φίλος dubiam ob causam condemnetur. Gravissimum vero Alcmæonidarum scelus, quod nobis quoque tanta mala portenderit. Ubicumque enim in tragœdiis vox ἐναγής legitur, illico Periclem odorantur interpretes sagacissimi. Itaque utrique OEdipo Periclem vides immixtum; ejusdem piaculum in Æschyli Eumenidibus (v. 370) significatum esse censuit Droysenius; quod ne ab Euripide alienum esse putes, Hartungus nuper vidit in Heraclidis alteri populo ab altero piacula exprobrari, ad belli Peloponnesiaci similitudinem [1].

Sed videamus hæc explicandi ratio quomodo adhibeatur ad eas fabulas, de quarum tempore disertum exstat veterum testimonium; tum demum, quid valeat ad reliquarum fabularum tempora invenienda, dijudicari poterit. *Antigona* edita Sophoclem belli Samii ducem ab Atheniensibus creatum esse, inter omnes constat. Cur creatus sit, a Schoellio edocemur, qui bellum Samium hac fabula commendari perspicere sibi visus est [2]. Qua in re demonstranda ita versatur. Belli instigatores fuerunt Milesii, quippe qui Atheniensium contra Samios auxilium implorarent; Aspasia autem Mileti erat nata. Poterat igitur Pericles videri in Aspasiæ gratiam hujus belli

[1] Droysen, *Uebersetzung des Aischylos.* Berlin, 1842. — Hartung, *Euripides restitutus.* Hamb. 1844, I, p. 288 sqq.

[2] Schoell, *l. l.* p. 134 sqq.

auctor fuisse. (Cf. Plat. *Per.* c. 25). Itaque quum in tragœdia Creon filium increpet, quod mulieris sit patronus, quod mulieri in servitutem se addixerit, de Pericle et Aspasia hæc dicta esse intelligatur. Ne autem putes contra Periclem hæc facere; est hæc illa quam novimus Sophoclis ironia, ut quæ in Periclem ab adversariis convicia funderentur, iisdem Creon tyrannus uteretur in mala causa defendenda. Antigonæ in fratrem pietatem extollendo, Aspasiæ laudat poeta in cives et consanguineos pietatem. Quod secundo cantico celebrantur hominum varia inventa (τὸ μηχανόεν τέχνας, v. 362), hoc spectat ad Melissum physicum et Artemonem bellicorum tormentorum machinatorem, quorum ille Samiis, hic Atheniensibus artis suæ auxilium præstabat. Quæ de amoris vi in tertio cantico prædicantur, ad Periclem referri consentaneum est, ut qui in hoc bello suscipiendo comprobaverit, *transmittere maria amorem et in magistratuum consilio assidere.*

Fortunatos nos, qui non Athenis, sed Berolini aut Parisiis Antigonam spectaverimus. Athenis enim de Aspasia, de Pericle, de Artemone, de Samiis nobis cogitandum fuisset, quibus curis distenti ad fabulam animum advertere, pro Antigona sollicitudinem suscipere, poetæ artem admirari profecto non potuissemus. Mitto spectatores; poeta qnî potuit fabulam effingere omnibus numeris absolutam, et eandem ad omnia quæ Athenis tum forte agebantur accomodare? quî potuit totus esse in iis quæ divino quodam spiritu afflatus ipse creaverat, idem-

que de reipublicæ partibus cogitare, ut his vel illis favorem civium conciliaret?

Nihil attinet omnia percensere de Sophocleis tragœdiis commenta; videamus quomodo ad Euripidem hæc explicandi ratio translata sit. De *Helena* ita Hartungus [1]: « Confer cum Alcibiade Helenam: cujus primum quidem mira formæ præstantia in perniciem et Græcis et Trojanis vertit: tum infamia atque invidia insons flagrat, et a patria exsulans potestate caret criminum purgandorum; denique omnis vita ejus et fortuna monstri instar est, et consuetum modum moremque excedit (Cf. v. 260). Insons erat Alcibiades eorum propter quæ patria exsulabat. Videtur igitur Euripides optasse, ut restituto potestas fieret tum diluendorum criminum, tum bene factis priorem famam abolendi. » Aliam insuper addit similitudinem, quæ tamen non ad Helenam solam, sed ad tres fabulas pertineat. Quum enim constet Helenam et Andromedam Ol. XCI. 4. actas esse, tertiam censet, vel potius primam, ejusdem didascaliæ tragœdiam fuisse Electram. Quæ conjectura optima est et maxime probabilis, pene certam dixerim. Jam vero habes tres feminas, e malis gravissimis virorum fortium inopinato adventu ereptas; et quum Atheniensium post cladem Siciliensem miserrima fuerit conditio, ad similem quandam spem, si Hartungum auctorem sequaris, his fabulis poeta erexit civium animos afflictos. Itaque et cum Alcibiade et

[1] Hartung. *l. l.* II, p. 304.

cum Atheniensibus Helena exæquatur. Qua in re ut agnoscam acumen viri docti, hoc tamen miror, Athenienses illum existimasse eodem fuisse acumine præditos. Hac ratione non video quid omnino elici non possit ex qualibet fabula. Ac profecto idem quod de Helena Euripidea Hartungo, Schœllio visum est de Sophocleo Philocteta, et ætate et forma ab Helena satis, opinor, diverso. Schœllius enim tum ad Alcibiadem exsulem spectare Philoctetam sibi persuasit, tum ad populum Atheniensem ab inimicis, amicitiæ speciem ementitis, exercitu et classe, quasi armis, privatum et inermem hostibus traditum.

Eundem Alcibiadem sub Polynicis in *Phœnissis* persona latere suspicatur Hartungus [1], quæ sane conjectura arridere posset, nisi omne hoc similitudinum eruendarum studium rejiciendum nobis videretur. Hoc saltem vellem pro sua opinione non attulisset vir doctus, Alcibiadem quoque aliquandiu Argis habitasse. Quid de eo dicam quod Phœnissas Thebis amicas ideo in scenam inductas esse vult, ut Carthaginiensium amicitia Atheniensibus commendaretur. Sed infinitum esset omnia persequi : hoc tamen addam novam non esse hanc interpretandi rationem. Eandem enim sæculo proximo Gallis placuisse, Acta Academiæ Inscriptionum fidem faciunt [2]. Exempli gratia conjecturas nonnullas apponam, ve-

[1] Zirndorfero auctore, *de Chronologia fabularum Euripid.* Marburgi, p. 82.

[2] Sallier, *Mémoires de l'Acad. des Inscript.* t. VI, p. 385. Hardion, t. VIII, p. 243. Lebeau jeune, t. XXXV, p. 432.

tustate jam obliteratas, sed recentibus quas supra attuli simillimas. Ajacem statuebant tum actam esse, quum Themistoclem in Attica sepeliri lege vetuerant Athenienses; Medea fabula videbatur Euripides monuisse, ne bello suscipiendo quasi liberos suos civitas necaret; in Andromacha idem rei publicæ imaginem proposuisse, post pugnam apud Oropum (sive potius apud Eretriam, Thuc. VIII. 95), ad ultimam inopiam redactæ, simulque in lætiores spes cives suos erexisse. Videntur nimirum in litterarum quoque studiis opiniones nonnullæ orbem quendam conficere et quasi circuitu redire: neque abhorret a veri simili, etiam hos ingenii lusus, brevi in oblivionem relapsos, olim renaturos esse, ut iterum evanescant.

IV. Reliquum est ut de singulis locis sententiisque disputemus, quibus publicarum rerum significatio inesse videatur. Quæ minus pertinent ad fabularum indolem perspiciendam, ad tempora definienda sæpe adhiberi possunt.

Primo loco ponam locorum terrarumque commemorationes spectatoribus ob recens aliquod eventum jucundas. Cujus generis est apud Æschylum Ætnæ ardentis descriptio, qua demonstratur post Ol. LXXV. 2. *Prometheum* conscriptam esse. Et hoc quidem nihil ad rem publicam. In Sophoclis *Antigona* Bacchus a Choro invocatus, præter Eleusinem et Thebas, nobilem dicitur Italiæ terram colere, de qua terra satis longinqua non cogitasset poeta, nisi nuper Thurios colonia deducta esset. In *Ione* Euripides (v. 1592) Rhii promontorii præter necessitatem men-

tionem injicit Atheniensibus gratam, quum paullo post victoriam navalem a Phormione ad Rhium partam (Ol. LXXXVII. 4) fabula acta esse videatur [1]. Quæ tamen conjectura non in hoc uno loco nititur, sed in descriptione accuratissima porticus Delphicæ stoæque, quam ex illius pugnæ præda Delphis Athenienses ædificarant (v. 184 sqq. Cf. Pausan. X. 11. 5). In *Troadibus*, quæ teste Æliano Ol. XCI. 1. docta est, captivæ mulieres precantur a diis immortalibus (v. 210 sqq.), ne ad exosam Eurotæ ripam abstrahantur, sed Athenas potius, vel in Thessalorum terram, qui scilicet Atheniensium in bello Peloponnesiaco erant socii, vel in Siciliam, quam tum in ditionem se redacturos esse sperabant, vel in Italiam, ubi Thurii erant Athenarum colonia. *Hecubam*, quam ante Troades editam esse ex utriusque fabulæ dispositione facile perspicias [2], Olympiadis LXXXVIII anno tertio esse recentiorem, primum chori canticum documento est. Laudatur enim ibi Delos insula, illo anno ab Atheniensibus expiata, et certamen musicum, eodem tempore restitutum (Thuc. III. 104). Atque videtur hujus rei commemoratio gratissima fuisse Atheniensibus, ut quæ iterata sit tum in *Hercule furente* (v. 687 sqq.),

[1] Bœckh. *Des Sophokles Antigone Griechisch und Deutsch.* Berlin, 1843. ad v. 1035. *Græc. trag. princ.* p. 192.

[2] Ex Nubium versu 1165, ad Hecubæ v. 172, ut videtur, respiciente, nihil certi colligas, quum Nubes ab Aristophane retractatam esse constet. V. Egger, *De la deuxième édition des Nuées d'Aristophane.* Paris, 1843.

tum in *Iphigenia Taurica* (v. 1089 sqq.) et in hac quidem fabula non sine altiore poetæ consilio. Prodeunt enim virgines græcæ, ab hostibus in barbaras terras divenditæ, atque carmine dulcissimo patriam desiderant, et Deliam Dianam, non sanguine illam gaudentem victimisque humanis, sed choris et canticis et *curruum certaminibus* (v. 1137, Cf. Thuc. l. l.) celebratam. Jam vero Delii æstate a. 422 (Cf. Thuc. V. 1) ab Atheniensibus e sedibus suis ejecti Atramyttium, in oppidum Persarum imperio subditum, exsulaverunt; æstate insequenti ab iisdem Atheniensibus, Apollinis oraculo monitis, in patriam restituti sunt. Quam ob rem suspicatur Hartungus [1] doctam esse Iphigeniam hieme inter utramque æstatem interposita (Ol. LXXXIX. 3), ut miserorum patrocinium hoc carmine susciperet Euripides, et oraculo dei tummaxime edito suffragaretur. Quæ conjectura et per se admodum est probabilis, et aliis mihi videtur ejusdem fabulæ locis commendari. Nam quum illo cantico virgines Euripides oculis spectatorum subjecerit patriæ desiderio correptas, cantico insequenti (v. 1234) Apollinis Delo profecti Delphica oracula laudibus extollit, atque in fine fabulæ (v. 1467), Minervæ persona usus, virgines illas jubet in patrias sedes restitui, quod in Helena, in rerum statu fictarum simillimo, verarum diverso, facere supersedit.

Hæc de locorum commemoratione. A quibus si

[1] *L. l.* II, p. 141 sqq.

discesseris singula verba sententiæque ita demum ad publicas res referenda esse videntur, si id quod ipsa fabula et personarum conditio requirit aperte egrediuntur, et quasi grandibus litteris expressa sunt. Nam quum ea sit fabularum spectandarum ratio, ut sui suarumque rerum inter spectandum obliviscantur homines, totique se convertant ad res fictas, commonefiant necesse est et abstrahantur ab iis quæ oculis animisque obversantur, si ad domestica et vera revocatos velis. Quæ non ita dico, quasi plane remota sit tragica ars a vita et quotidiano usu, nihilque possit conferre ad hominum mores emendandos; sed multum interest inter ea præcepta quæ sponte e rebus ipsis nascuntur, teque ignaro in animum tuum se insinuant, et inter ea, quæ, dedita opera adjecta, docendi consilium præ se ferunt. Itaque apud Æschylum et Sophoclem nullam equidem agnosco sententiam ambigue dictam, quæ ad publicas Atheniensium res magis quam ad fabulam pertineat. Notissimi sunt illi in Æschyli *Septem* versus, quibus in scena recitatis ad Aristidem omnis corona ora convertisse dicitur; de re ipsa litem non movebo, quamquam talia ab interpretibus nonnunquam conficta esse Euripidis Palamedes demonstrat; hoc negaverim, Æschylum ipsum de Aristide cogitasse, et eo consilio hos versus conscripsisse, ut non de Amphiarao, sed de Aristide acciperentur. Apud Sophoclem *Philoctetes*, per decem annos hominum commercio privatus, de Græcorum primoribus quærit (410 sqq.), qui vivant, qui mortem occubuerint,

ubi acerrimus ille tectiorum rerum indagator [1] in Nestore Antiphontem agnoscit, Nestoris scilicet cognomine insignitum, in Antilocho Phrynichum, in Thersite Cleophontem, ut mittam cetera. Efficitur his argutiis, ut locus, qui quam maxime viventem refert spirantemque hominem illum miserum post longum intervallum hominis alloquio fruentem, videatur compositus ad res a Philocteta plane alienas, a poeta profectus, non a persona. Potuit sane occurrere spectatoribus nonnullis, quod ipsum poetam, senem tunc, non sine animi dolore sensisse arbitror, nimis esse vera quæ Philoctetes conquereretur, atque Athenis quoque bonos fortesque cives bellum abstulisse, malis pepercisse. Quæ si occurrerunt, valuisse oportet ad provocandum id quod tragœdia sibi proponit, quodque non potest assequi, nisi persuasum habeamus easdem esse nostræ et tragicarum quas spectamus personarum vitæ conditiones. At hoc si eo usque procedat, ut singulis Trojani belli nominibus viri significentur Athenis tum versantes, periit et tragœdia et omnis tragica vis, atque ad lusum quendam non inficetum neque injucundum fortasse, frigidiusculum tamen, omnia rediguntur. In *Antigona* quæ Creon profert (v. 667): « Cui civitas imperium tradidit, ejus dicto audientes esse oportet », certatim video a viris doctis ad Periclem esse relata, adversariis tum devictis haud dubie Athenarum principem et gubernatorem. Quod si

[1] Schoell. *l. l.* p. 339.

agnoscas, ironice locum accipias necesse est propter ea quæ sequuntur: « In parvis rebus, in justis, in contrariis ». At minime agnosco. Ea enim huic tragœdiæ inest sapientiæ copia, ut vel ad eum qui tum erat Athenis rerum statum, vel ad nostrum, vel ad alium quemlibet multa referas. Ita rursus omnia ex personarum mente dicta sunt, ut pauca invenias ab omni parte et absolute vera, plurima quibus, ut assolet, veri pars admista sit; utque, prout velis, eligere possis quæ pro Pericle facere videantur, eligere quibus contra Periclem utaris. Eam denique omnis fabula edit moderationis quasi vocem atque præceptum, ut a partium studio longissime remotam intelligas poetæ mentem ex altiore quadam arce in hominum res turbasque despicere. Quæ secundo Antigonæ cantico celebrantur ingenii humani egregia indoles atque inventa præclara, nihil tamen illa valitura, nisi divinarum rerum accedat reverentia, num hodie minus vera sunt quam Sophoclis ætate? Nihil enim poeta de sculptorum, architectorum, mechanicorum, aliis artibus, quæ eximia tum habuerunt incrementa; ea tantum memorat quæ ad omnes fere pertinent et terras et ætates, agri culturam, pecudes domitas et mansuefactas, civitates conditas, domus exstructas, ut videas eum descendere noluisse ad singula, sed capita rerum secutum per omnia sæcula valituram humani ingenii delineavisse imaginem. In Ajace quæ leguntur (v. 154). « In excelsos tela non jactaveris irrita; de humilibus si quis talia proferat, fidem non faciat; potentes enim se-

quitur invidia » referesne hæc ad Periclem, an ad Themistoclem, an ad Miltiadem potius vel Cimonem vel Alcibiadem? In omnes hos multosque alios hæc quadrant et quadrabunt: Οὐδὲν δεινὸν μὴ ἐν τούτοις στῇ, ut Platonicus ait Socrates. Agnoscas sane in his talibusque poetam qui multa viderit, multa ipse expertus sit, neque a republica, neque ab ulla humanarum rerum conditione fuerit alienus; sed ne certam aliquam causam et occasionem requiras eorum quæ ex varia rerum cognitione altoque mentis recessu manaverunt et quasi effloruerunt.

Apud Euripidem contra plurimas inveniri sententias vel callide dictas, quæ ancipites et ad fabulam spectent et ad publicas res, vel negligentius illatas, quæ ad argumentum ipsum vix possint referri, nihil est quod multis demonstrem. Exempli gratia afferam locum, qui in *Hercule Furente* legitur, quam maxime a fabula alienum, ingeniose nuper ex historia explicatum [1]. Multis in illa fabula disputatur de sagittariorum præstantia, gravis armaturæ incommodis (v. 188-203). Quæ quum aperte singulari aliquo consilio ab Euripide, non ab Amphitryone dicta sint, occurrit pugna Deliensis, qua Hippocrates, Atheniensium dux, levi armatura domum dimissa a Thebanis fusus est. (Ol. LXXXIX. 1. cf. Thuc. V. 90, 94). Addam aliud exemplum, ut notiora mittam, ex *Erechtheo* fabula petitum. Quæ quum teste Plutarcho (*Nic.* c. 9 cll. Stob. LV. 4) paullo post prœlium

[1] Zirndorfer, *l. l.*

ad Amphipolim commissum acta sit, ad Cleonem referenda esse censeo hæc fragmenta a Stobæo servata (1):

Ὡς σὺν θεοῖσι τοὺς σοφοὺς κινεῖν δόρυ
Στρατηλάτας χρὴ, τῶν θεῶν δὲ μὴ βίᾳ.—
Οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα σῶς ἦλθεν πάλιν.

Sunt sane quæ opponi possint huic disputationi. Æquales enim fuerunt Sophocles et Euripides, iisdem sæpe feriis utriusque fabulæ docebantur, iisdem uterque utebatur spectatoribus. Qui si in Euripidis tragœdiis solebant ad singula verba attendere, ac rimari quæ ad suas ipsorum res referrent, nonne consentaneum est idem eos fecisse in Sophoclis aliorumque fabulis spectandis, atque quærendo profecto etiam invenisse? — At ea est ratio Sophoclearum fabularum, ut neque de poeta neque de se cogitare possent homines, neque omnino de fabula cogitarent, sed toti essent in fabula; Euripidearum ea, ut semper ab opere revocarentur ad artificem, a rebus fictis ad compositionis rationem, a spectando ad judicium ferendum, atque omnino, ut ita dicam, instituerentur ad criticam artem exercendam. Personæ Sophocleæ, e poetæ manibus emissæ, in se ipsis nituntur, propriam et suam vitam agunt; Euripideæ, curaliorum instar, cum ea quasi stirpe unde vitam traxerunt semper cohærent, neque possunt

[1] Stob. LIV, 12, 13. *Erechthei* fragm. 6, 4, Dindf. (11, 12 Wagner).

ab ea penitus dividi. Semper enim audire mihi videor poetam, nostræ ætatis scriptoribus quibusdam haud dissimilem, in hunc modum cum lectore colloquentem : Nonne bene hæc institui ? nonne præclarum est hoc inventum ? nunc attendite mihi, quam callide causam desperatam sim defensurus ; non omnino hæc sunt ad hujus personæ mores accommodata, ne putes hoc me fugisse ; indecore fortasse videri possit hoc loco mulier verba facere, sed reputes mulierum impotentiam (*Herc. fur.* v. 536); trita est hæc tragici nodi expediendi ratio, sed videte num novi quid et inauditi addiderim (*Helen.* v. 1056). Atque adeo videtur interdum fabula non ultimus esse quem poeta sibi proposuit finem, sed occasio tantum et quasi prætextus, quo usus sententiam suam de diis, de re publica, de matrimonio jungendo, de aliis rebus domesticis, de optima fabularum compositione, de omnibus denique maximis rebus minimisque cum populo communicaret, et aliorum vel poetarum vel philosophorum placita refelleret. Itaque de *Melanippa philosopha* optime dixit Dionysius Halicarnassensis (Rhet. VIII, 10; IX, 11) tota fabula quasi oratoria figura usum esse Euripidem, ut Anaxagoræ placita in medium proferret. Quæ placita neque Melanippæ esse, neque sua, sed summi illius philosophi, cujus olim fuerat auditor, satis aperte significavit verbis quæ in proverbium abierunt :

Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα.

Neque hæc vitio verterim Euripidi, quem libenter concedam ingenii copia Sophoclem Æschylumve facile æquasse, opera tamen contenderim non æque perfecta et absoluta edidisse. Quod necessario quodammodo ei accidit. Sententiam enim de divinis humanisque rebus tum e philosophorum commercio imbiberat, tum ipse cogitando sibi confirmaverat plane diversam ab ea, quæ antiquitus inter Græcos obtinuerat, quæque in fabulis popularibus ita erat expressa, ut omnino cum iis coaluerit. Itaque quum tractaret ejusmodi fabulam et in tragoediæ formam redigeret, semper fere inerant quæ ei viderentur vel inter se vel cum vera rerum natura minime convenire: quæque poeta ad veritatis similitudinem effingebat, ea rationem habere philosophus negabat. Qua re factum est, ut non totus esset in opere, sed extra opus, utque ad fabulæ personas alia accederet eaque primaria persona, poeta ipse; quum Æschylus et Sophocles nihil ad fabulas adferrent, quod non antea in iis esset vel expressum vel obvolutum, atque ita se insinuarent iis quæ effingebant rebus, ut artificis mens, æquabiliter per omne opus diffusa, operi esset vitæ fons et principium invisum, non vero seorsim et quasi nuda appareret. Exempli gratia eam fabulam afferam, quæ tribus principibus poetis tractata tribus tragoediis ad nos pervenit. Apud Sophoclem Orestes Apollinis jussa exsequitur, neque ante facinus perpetratum ira aut misericordia, neque post poenitentia correptus, omni culpa vacuus, ut qui divino facti auctore utatur. Electra

apud eundem, falso nuntio decepta, dum fratrem mortuum esse opinatur, ad Ægisthum obtruncandum se accingit, de matre interficienda ne cogitat quidem. Hominum enim non erat tantum tamque horrendum consilium suscipere, divinam sapientiam ad humanæ rationis normam non exigit poeta. Apud Æschylum pariter non suo Orestes, sed Apollinis, consilio impellitur, et quamquam dubitat in ipso vulnere inferendo, postea tamen minime eum pœnitet facti. Attamen non simpliciter comprobat Æschylus Apollinis oracula, ut pia illa quæ tacite divina reveretur Sophoclis musa, sed audaciore ingenio deorum se immiscet consiliis, et dissensiones aperit Olympiorum et antiquiorum numinum. Euripides vero stultitiam exprobrat deorum popularium sapientissimo, quamque ipse parvi facit responsorum Delphicorum auctoritatem, ne apud Orestem quidem et Electram tantum valuisse existimat, quæ ad parricidium perpetrandum satis justus iis esset stimulus. Itaque accuratius si inspexeris Euripideam fabulam, teque insinuaveris in personarum animum, videbis profecto de Apollinis oraculo verba fieri eum maxime in finem, ut deorum popularium refellendorum occasionem nanciscatur poeta; veram Clytemnestræ interficiendæ causam Electræ esse odium in matrem impotentissimum. Electra enim apud Euripidem (quantum dissimilis illa a Sophoclea virgine, quæ animo est et magis virili eodemque magis muliebri), Electra, vel nondum certior facta de Apollinis jussis, matrem securi per-

